



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quid Pharisæi coniuncti agunt?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

VERSVS 52.

Va vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientia, ipsi non introiistis, & eos qui introibant, prohibuistis.

QVAESTIO I.

Qua clauis scientia?

§. 1. Clauem scientia ferre, quidam interpretantur, sibi scientiam vindicare; quemadmodum qui clauem retinet, ne vlli, nisi se aperiente, ingressus pateat. Non intrant illi in regnum caelorum, & prohibent illos qui intrare volebant. Clauem scientia tollunt, qui non ostendunt iter ad regnum.

Clauem scientia Augustinus interpretatur de cognitione. l. 2. de aduersario legis & prophetarum cap. 5. in hanc sententiam vult accipi, & quod ait Dominus ad Iudas: Neque me nostis, neque patrem meum, sed nec verbum patris habitis in vobis manens. Quod vtrique contrarium non est, quod dixit: Tulistis clauem scientia, ipsi non introiistis, & eos qui introibant prohibuistis. In semetipsis enim verbum Dei non habebant, sed in literis quas legebant. Nam si haberent in semetipsis, & ipsi intrarent, & alios intrare permitterent: Non intrare autem est, non intelligere. Ecce quare nec ipsi sum uenerunt, nec eius patrem. Quia non intelligebant quod legebant, non quia Deum & Christum non predicauerant, quos legebant. Hoc est ergo intrare, non esse contentum superficie litterae, sed ad interiora intelligentia peruenire.

Simili plane ratione S. Hilarius prologo in Psal. eos errasse ait; quia Christum in lege & prophetis non cognouerunt. Sunt enim vniuersa allegorica & typica contexta virtutibus: per qua omnia vniuersi Dei filij in corpore & gignendi, & patiendi, & moriendi, & resurgendi, & in aeternum conglorificatis sibi, qui in eum crediderunt, regnandi, & ceteros iudicandi sacramenta panduntur. Et quia Scribae & Pharisei Dei filium natum in corpore non recipientes, omnibus Prophetica intelligentia aditum denegarent, sub denunciatione pena ita a Domino arguuntur: Va vobis legis Doctores, qui abstulistis clauem scientia. Ipsi non introiistis, & introeuntes non sinistis introire. Negantes enim Christum cuius aduentus opus est prophetarum, clauem scientia abstulerunt: quia cognitionem legis, qua aduentum Domini corpore non predicauerunt, fides corporei aduentus abnegata, pracludit. Et hoc quidem ex omni scripturarum prophetarum genere dictum esse, intelligendum est: vt nisi in aduentum Domini ex virgine in hominem procreandi intellecta & recognita fuerint, intelligentia earum vis obseignata habeatur & clausa. Vbi non modo externam, sed interiorum etiam ministeriorum intelligentiam complecti putat. Imo praecipue ea in re errabant, quod ipsa mysteria, hoc est, Christum non agnoscerent in literis sacris.

§. 2. Caluinus clauem ad solam scientiam restringit. [Potro, inquit pag. 286. ex voce Scientia colligitur, quam stulte Papistae imaginarias clauem fabricant: quasi sit magica quaedam potestas absque verbo Dei. Nam Christus innuit non alios vt istis clauibus, quam qui doctrinae ministri sunt. Si quis obicit, Phariseos, licet peruersi essent. Legis interpretes, clauem nihilominus tenuisse: Respondeo, quamuis officii respectu, illis commissae forent; malitia tamen ac fua de fuisse suppressas, vt nullus maneret earum vnus. Ideo Christus eos abstulisse dicit vel furatos esse clauem illam scientia, qua caelorum ianuam aperire debeuerant. Sicuti hodie in Papatu obseruatum est, regnum misero populo, dum ianitores ipsi (saltem quibus imposita erat haec cura) tyrannide sua impediunt

ne aperiat. Porro nisi finis plus quam focordes, manus sponte impiis tyrannis non dabimus, qui nos crudeliter ab ingressu vitae prohibent.]

Clauem scientia Christus nominat, idcirco ille negat esse aliam clauem, quam scientia. Deinde nos ex clauibus magicam potestatem facere criminatur. Pius stultum est, alterum atrox conuictum. Stultum est, clauem ad solam scientiam restringere, et si hic clauis scientia nominetur. Cum sit etiam clauis soluendi & ligandi, cum sit clauis David, non in sola cognitione. It. 22. 22. Quod de potestate clauium magica calumniatur, non agnoscit eam Ecclesia, sed quas Petro & Apostolis Dominus dedit, eas ipsa magicas dicere nequaquam audeat, & dicentem abominatur. Clauem soluendi & ligandi, non sunt in sola cognitione. Ita olim omnis antiquitas Cypri. l. de simplic. cler. & ad Cornelium. Hilar. l. 3. de Trinit. Hier. l. 1. aduers. Iouinianum. Leo epist. ad Anastasium. epist. Thessal. Theophylactus hunc in modum definit. κλειδας η νοησις τας δεσμοσας και λυσεις τας των σφαλιματων η συγχωρησεις η απλημοσεις εχουσι η εξουσιαν η αφιεναι, και δεσμειν οι η απερον η απιστοιμους αξιοθελεις χερας. Clauem esse noris, qua ligant & solunt peccatorum aut veniam, aut penam. Habent enim potestatem ligandi vel soluendi, qui Episcopali dignitate praediti sunt secundum Petrum.

Andreas Episcop. Caesareae ad c. 8. Apoc. τα η λεγεις ο αρι ο αληθινος, ο εχων η κλειδα τη δαuid. κλεις τη δαuid η βασιλεια αυτη κλεινη. εξουσια ηδ αυτη συμβολον. Hac vero dicit sanctus, verax, qui habet clauem David, clauis David regnum eius vocatur, Potestatis enim ipsa est symbolum.

Errat igitur cum Nouatianis, Aceso, aliisque Caluinus, dum clauem alias in Ecclesia non cognoscit, nisi cognitionis. Pro ηεσσε, quaedam exemplaria habent, κηρυχας, quod ex glossmate in textum irrepsit.

VERSVS 53.

Cum autem haec ad illos diceret, coeperunt Pharisei & legisperiti grauititer insistere & os eius opprimere de multis.

QVAESTIO I.

Quid Pharisei coniuncti agunt?

§. 1. Grauititer insistunt, δενωσ συνεχουσι, grauititer affecti sunt, vix esse continent. Euthymius ait quosdam codices habere ελεγχου, redarguere, quod ex interpretatione in textum irrepsisse videtur.

Insistere, Erasmus correctiores codices habere ενεχου, vrgeri. Verum admodum conuenit συνεχου, quod est colligare, constringere, premere, occludere, & vrgeri, de tota summa agere. Ita η συνεχου est causa totius firmamentum.

§. 2. Quod ait os opprimere legisse putant ηπισμιλειν in Graecis est αποσμηματιζειν, quod ab ore pendere exponit. Αποσμηματιζειν habent nunc plerique Graeci, alii ηπισμιλειν, ita multi tempore Euthymii, qui recte id obseruauit. Laurentius Valla legit ηπισμηματιζειν, & vertit interpellare, obstrepere, obloqui. In tanta varietate Graecorum, vna est lectio Latinorum os ei occludere de multis. Quin apud Theophylactum dubium est legeritne αποσμηματιζειν, an αποσμηλειν, nam non modo ipse textus variat, sed etiam Erasimiana citatio quater habet αποσμηλειν, raro αποσμηματιζειν. At vero αποσμηλειν Hesychius interpretatur, os obturare, idemque esse, quod αποσμηματιζειν, ait, quin & Plutarcho est, aciem obrundere, hebetare. Hesychius enim αποσμηλειν interpretatur φημων, os obturans.

§. 3. Ver-

§. 3. Verbum *ἀντιμαρτυροῦν*, sine vlla dubitatione est obturare, sic vsurpat Athen. l. 8. dipnosoph. Quod attinet ad verbum *ἀντιμαρτυροῦν*, est hoc de memoria dicere, apud Plutarc. Athenæum, quasi laborare, seu de memoria dicere. id huic loco nõ cõuenit. Primo quidem *ἀντιμαρτυροῦν* non est hoc loco de memoria recitare: dicit enim Euangelista, ceperunt *ἀντιμαρτυροῦν*, dicitur, ipsum Christum illi *ἀντιμαρτυροῦν*, quod si adiuue accipias, oportet, vt sit in hiophil, faciebant ipsum multa de memoria dicere; hoc est, multa flagitabant, vt aliquid reprehensionis opportunum elicerent. Sed nec in eã significatione inuenitur, & cõtra facit, quod additum est, *καὶ ἔκρινεν αὐτὸν*, de multis: optime igitur vertitur, *occludere os*. Nec aliter intelligendus Syrus, cum ait *מַרְבֵּי מַלְאָכָיִם* metacefin melanubi, aucupante sverbarius; Nam & audiebant, & ex auditis alias quæstiones formabant, alia que obiciebant, omnia vero eo tendebant, vt os ei obtuerent, vt Theophylactus explicauit: cuius ista sunt. Illo autem adhuc loquente hac, illi quasi attestarentur dicta eius, ostentarent se illo aliquatenus sapientiores, atq; occludere illi os, (quod Greci dicunt *ἀντιμαρτυροῦν*)

incipiebant, hoc est, frequenter interrogare, & perplexum facere. Et quod fieri solet, quando plures interrogant vnu de alio atq; aliis argumentis: tunc n. qui responderet non valet omnibus specimen, perplexus igitur struebant etiam ma. t. dicit contra Christum. Multi enim interrogantes vnum, videbantur illi os occludere. & perplexum reddere: ita vt non posset eis respondere: id quod versimiliter accidit. Quomodo enim vnus posset multis respondere alia atq; interrogantibus? Potest autem & os occludere, & *ἀντιμαρτυροῦν* sic intelligi, hoc est illaqueare, & ob testimonium erigere apprehendere. Quando enim apprehenditur ac capitur, in qua ipse dicit, videtur ab ore capi, & ab ore suo rapi atque demerari. Porro & sequentia hoc declarant. Quærentes enim, inquit, venari quippiam ex ore illius: quod enim paulo antea dixerat os eius occludere, hoc nunc dicit venari quippiam ex ore eius. Interrogabant autem ipsum de lege, vt eum blasphemum arguant, qui Moysen taxasset, hoc enim suscipiebatur. Aliquando interrogant de his qua ad Caesarem attinebant, vt eum sitiosum denuncient, & tyrannidis studiosum, & omnia talia qualia anima pessima & malignissima, ac omni iniquitate plena excogitarent.

C A P V T XII.

Multis autem turbis circumstantibus, ita vt se inuicem conculcarēt, capit dicere ad discipulos suos, Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. 2. Nihil innot opertum est, quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur. 3. Quoniam que in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, predicabitur in tectis. 4. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. 5. Ostendam autem vobis quem timeatis: timee eum: qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timee. 6. Nonne quinq; passerres veniunt dipondio, & vnus ex illis non est in oblatione coram Deo? 7. Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus plaris estis vos: 8. Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. 9. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. 10. Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur. 11. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut dicatis. 12. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. 13. Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hereditatem. 14. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? 15. Dixitque ad illos: Videte, & caute ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vitæ eius est ex his que possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuites vberes fructus ager attulit. 17. Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? 18. Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, que nata sunt mihi, & bona mea. 19. Et dicã anima mea: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. 20. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: que autem parasti, cuius erunt? 21. Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues. 22. Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis: Nolite solliciti esse anima vestra quid manducetis: neque corpori quid induamini. 23. Anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum. 24. Considerate coruos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neq; horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos plaris estis illis? 25. Quis autem vestrum cogit enã potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? 26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis? 27. Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. 28. Si autem fenum, quod hodie est in agro, & cras inclinatum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos pusilla fidei? 29. Et nolite querere vos quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli. 30. Hæc enim omnia gentes mundi quarunt. Pater autem vester scit, quantum his indigetis. 31. Verumtamen quarite primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcentur vobis. 32. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 33. Vendite que possidetis, & date elemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in celis: quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. 34. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. 35. Sunt lumbrici vestri præcincti, & lucerna ardentes in manibus vestris. 36. & vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs: vt, cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. 37. Beati serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes: Amen dico vobis, quod præterget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. 38. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret pater familias, quia hora fur veniret, vigilaret utique, & non suerit perfodi domum suam. 40. Et vos estote parati, quia quæ hora non putatis, Filius hominis veniet. 41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicitur hæc parabola: an & ad omnes? 42. Dixit